



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Confirmatio sedis de Parochia Osterhouen.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

*Centingen, Geroltingen, Grezzentrant, VVartperge, nec non libertates immunitates à Babenberg, & Patavien:* Episcop. de capitooorum suorum assensu Monasterio vestro pia liberalitate cōcessas possessiones, terras, redditus, prata, nemora, vineas, & alia bona ipsius Monasterij sicut ea omnia iuste possidet & quiete, ac in litteris super his confectis plenius dicitur contineri, vobis & per vos eidem Monasterio auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum *Petri & Pauli* Apostolorum eius, se noverit incursum. Datum *Lateran.* V. Kln. Aprilis, Pontificatus nostri anno IV.

L. Apostolicæ de *Ebring, Aeming, Entau, & Schorten.*

**G**regorius IX. Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis & Præposito & Conuentui Monasterij *Præmonstr.* ordinis. Salutem & Apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite nõ discordant, effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, de *Ebringe, de Aeminge, de Entauve, de Scharten* grangias cum decimis & alias earundem pertinentis quas vos proponitis assecutos canonicè, sicut illas iuste & pacificè possidetis, vobis & per vos eidem Monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI & Apostolorum *Petri & Pauli* se noverit incursum. Datum *Lateran.* Kln. Aprilis, Pontificatus nostri anno IV.

Confirmatio sedis de Parochia *Osterhouen.*

**A**lexander IV. Episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri Episcopo *Patavien.* salutem & apostolicam benedictionem. Cum multiplicata sit vsque adeo iniquitas superborum, quod quasi aquam maledictionem bibentes, Ecclesias & personas Ecclesiasticas persequi non desistant, multiplicari debet humilium æquitas contra eos, vt sapientia vincens malitiam virgam peccatorum, super sortem iustorum minimè derelinquat. Cum igitur sicut dilectus filius Abbas *Præmonstraten.* pro se ac cæteris coabbatibus Præpositis ac Conuentibus vniuersis *Præmonstraten.* ordinis nobis exposuit, Nonnulli qui nomen Domini recipere in vacuum non formidat, ipsos in personis & reb. suis aggrauant & molestant, nos volentes & præsumptorum huiusmodi refragari conatibus, & eorundem Abbatum, Præpositorum & Conuentuum grauaminibus congruis subsidij subuenire, Fraternalitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus non permittas ipsos contra indulta priuilegiarum & indulgentiarum sedis apostolicæ super inofficiatione Parochiarum seu capellarum suarum eiusdem concessorum ab aliquib. indebitè molestari. Molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. *Lateran.* IV. Nonas Ian. Pontificatus nostri anno tertio.

L. Apostolicæ de introductione ordinis in Ecclesiam *Slagen.*

**H**onorius III. Episcopus servus servorum DEI, dilectis filiis G. Lectori & Fratribus Sanctæ *Mariæ* in *Slag.* *Præmonstr.* ordinis, salutem & Apostolicam bene-